VRNA
CONTARENA

AB HIER. FRANC. ZANETTIO

Nunc primum tentata

PERBREVI DISQVISITIONE

AD CONSOCIOS SVOS

COLVMBARIOS.



VENETIIS

MDCCLII.

Digitized by Google

Digitized by Google

INLVSTRISSIMÆ

ATQVE

EXCELLENTISSIMÆ MATRONÆ

PAVLINÆ CONTARENÆ CONTARENÆ.

H. F. ZANETTIVS
ALEXANDR. FIL.
FELICITATEM.

FAuſte ac feliciter de me actum arbitror, Matrona Ampliſſima, quod nuperis diebus pro ſumma qua ſemper ſoles humanitate, me accerſiri juberes ut inſpiciendi Veterum Vaſcula quæ in erudito gynecæo tuo adſervantur copiam faceres, tibique ego ſententiam meam de urna quadam marmorea perobſcuris emblemmatibus inſigni, ſi quid ſcire daretur, aperirem. Equidem vidi; immo non levi mentis contentione meditatus ſum, & quæ tutiora mihi minuſve dubia ea de re videbantur, auſpicatiſſimo nomini tuo inſcripta in medium proferre nunc animus eſt. Nun-

Digitized by Google

quam ſane magis doluiſſe memini me parum ingenio & eruditione valere; quod ingenue fateor. At neque dignitas tua neque obſequium in te meum ferre poterant me omnino ſilere, & veluti tanta humanitate poſthabita, omnem non movere lapidem ut tibi morem gererem, & facilis iubenti parerem. Quod inde aut ſpero aut confido, unum tantummodo eſt: te ſcilicet non indigne laturam flagrantiſſimum deſiderium meum quo vehementer iamdiu diſtineor in album clientulorum inclytæ gentis tuæ, te non recuſante, referri. Porro id non temere me optaſſe reor, quum probe noverim qua præſtes animi magnitudine, qua mentis acie, & ſublimitate vigeas, qua denique beneficentia & liberalitate, Maiores tuos imitata, optimas quaſque artes earumque cultores obſerves, ſuſcipias, tuearis. Faveas igitur animis atque proclivis in vota hilari fronte ſerenoque vultu ſcriptiunculam qualemcumque meam excipias rogo; quam non aucupandæ gloriolæ libido ſed æquiſſima ſummæ in te obſervantiæ meæ lex, ab aridis ingenioli mei fontibus, haud prorſus Minerva invita, expreſſit.

Dabam Venetiis Prid. Kal. Maias CIↃIↃCCLII.

VIVAS. FLOREAS. AETERNVM.

Digitized by Google

DIgnissimum quod summo honore & singulari animi mei iucunditate exciperetur, nuper mihi nuntium adtulere Cl. Gorii Literæ, quibus monebar Vos in me tali voluntate fuisse ut hominem obscurum diu, ac prorsus immerentem, pro vestra magis humanitate quam ullo vel famæ vel ingenioli mei pretio compulsi, inter Socios celeberrimi huiusce cœtus vestri cooptandum statueretis. Itaque vehementer cupiebam Ἑταῖροι κεδνότατοι ϗ φίλτατοι ἁπάντων, aliquid in communem selectissimarum lucubrationum conferre cumulum, quo summam erga Vos animi mei reverentiam testarer, simulque quas possum grates pro tanto talique beneficio præter omnem spem mihi conlato, rependerem. Hoc nimirum mente volvebam; quum adeunti mihi Nobilissimam Contarenæ gentis Matronam, suadente Th. Temantia conterraneo meo eruditissimo, marmoreum Vas obtruditur ut incompertos adhuc etsi sæpius tentatos characteres, quibus cœlatum erat, exponerem, eorumque sensum cupide efflagitanti aperirem. Iubenti lubens parui; ipsa etenim natura in hæc studia trahor; perspectaque Vrna, fidenter eas inter statuendam pronuntiavi, quæ *ossuariæ*, & *cinerariæ* Antiquis audie-

bant. Factumque mox est ut nedum bene compertis characteribus, intra memetipsum decernerem, siquid boni mihi inde elicere contigisset, vobis afferre, utpote quibus exordia & adpellationem sapientissimi huiusce consessus vestri a Veterum sepulcretis antiquario quodam ritu derivari consilium fuerit. Id vero eo libentius nunc me præstitisse velim sciatis, quod quum rem abstrusiorem quam primo intuitu putaveram, nimium iam deprehendissem ut ferme suscepti operis pœniteret; sperabam fore ut a vobis certiora sane ac luce digniora forte ederentur quibus luculentior mihi de ænigmatibus hisce interpretatio adferretur, Amplissimæque Matronæ votis uberiori eruditionis copia satisfieret.

Vas pario marmore exscalptum est eoque pellucido, magnitudine unius pedis cum semisse. Forma
Fig. I. simplicior & elegans, optimam redolens antiquitatem; os angustius, venter laxior, perbelle ad basim contractus. Ab oris peripheria cavitas quædam seu mavis
Fig. II. striatura diffluit. Eam seorsim expressam volui, adiectis in circulo characteribus ad fidem prototypi; ne lineatim exscribendo, genuinum ordinem fortassis inverterem, minusve daretur commodi eorum rationem sedulo rimari conantibus. De tempore locove quibus Vas effossum nil sane traditum. Hoc unum percontanti mihi responsum redditum est, complura olim a P. Contareno gentis eiusdem Viro amplissimo, collecta fuisse Antiquitatis monumenta, quorum partem maximam e Dalmaticis & obiacentium Provinciarum latebris primus eruerat, eaque inter Vrnam quoque fuisse censendum.

At quid tandem rei sit ita ego statuerem. Characteres hosce Astronomicas esse Notas quibus ab rerum harum peritis Zodiaci Signa ceterosque Planetas per compendium indicari mos est, facili negotio quisque norit. Nam etsi haud omnino omnes sint iis simillimi,

mi, quibus nostri & paullo remotiorum sæculorum utuntur Astronomi, tali profecto specie & figura heic nobis exhibentur ut vel tantillum contemplantibus res in aperto esse possit. Id ego pro diversa temporum locorumve ratione factum opinor. Aquarii signum cetera præit. Virgo, Capricornus cum Venere subsequuntur; quibus adnectitur Libra. Mercurius, Taurus, Aries, & Gemini subinde sunt, quos iterum Venus, Libra & Aquarius comitantur. Sequitur Saturnus, si bene novi, & cum Sagittario Mars. Venus & Mercurius rursus adparent. E tribus vero postremis, quibus Signorum clauditur agmen, prior Luna est. Altera Nota Pisces refert; tertia Capricornum. Ad latera trianguli Scorpius, & Capricornus iterum. Quid simile ceteras quoque Notas in gyro exscalptas, aliquot insuper Magicis characteribus admixtis, referre non ambigo. Quæ quum ita sint, non invita veritate, ego statuendum censerem Notarum huiusmodi syllogem in illarum numerum reiici oportere quibus ad præsagienda hominum fata ex vi & potestate siderum, utebantur impostores olim notissimi æque ac impudentissimi qui Chaldæi primum & Mathematici, subinde Planetarii, Magi, & Genethliaci adpellati, ac demum Apotelesmatici, Sortilegi, & Astrologi, Iudiciariæ ut aiunt Astrologiæ stolidam navabant operam (*a*) *divitantes*, iuxta Accianum illud, *verbis aures alienas, suas ut auro locupletarent domos*. Quam late quove diuturno temporis intervallo apud Ægyptios, Græcos, ceterasque fere omnes gentes futilis hæc γενεθλιαλογία (*b*), (Origeniano utor verbo) fidem & cultores invenerit, neque vacat neque operæ pretium foret recensere; *quum nulla gens fuerit*, aiebat Cicero, (*c*) *neque tam humana at-*

(*a*) *Apud Gellium. Lib. XIV. cap. I.* (*b*) *Contra Cels. Lib. VI.*
(*c*) *De Divinat. L. I. 1.*

que docta neque tam immanis tamque barbara quæ non significari futura & a quibusdam intelligi prædicique posse censeat. Impudentissima fraus, effrænatumque desiderium quo adsidue aguntur homines futura noscendi, ineptissimæ artis fundamenta iecere. Eruditi omnes iam probe norunt. In Græciam Berosus genethliacam artem ab Orientalibus plagis circa M. Alexandri tempora primum vexisse, ex antiquis fontibus iamdiu observatum est. (*a*) A Græcis ad Romanos deinceps adlatam, luculenter Historia testatur; notumque satis, narrante Svetonio (*b*), Augusti factum, qui in Apolloniæ secessu Theogenis Mathematici pergulam, Agrippa comite, adscenderat, ibique *suum thema* protulerat; quo vix comperto, eo tantum nomine quod sub Capricorno [etiā falso] natum intellexerat, Theogenes *exsiliens adoravit*. Verum & ante Augusti tempora Romanis rem totam innotuisse prodit Cicero, ubi ait: (*c*) *Quid* [habet] *Astrologus cur stella Jovis aut Veneris conjuncta cum Luna ad ortus puerorum salutaris sit? Saturni Martisve contraria?* Hadrianum Astrologiæ addictum diserte innuit Spartianus (*d*); & *εἰς τὸν οὐρανὸν ἀφορῶν πολλάκις καὶ πολυπραγμονῶν τὰ ἀπόρρητα* Julianus (*e*) inducit. Quibus verbis non solum Hadrianum artem hanc bene novisse, verum & exercuisse indicari ab Iuliano plane non dubito. Severum itidem, testis est Marius Maximus apud Lampridium, (*f*) tantum fidei genethliacæ arti adhibuisse ut *quum comperisset nobilem Orientis mulierem tali genitura editam ut uxor Imperatoris esset, adhuc privatus & non magni satis loci, duxerit uxorem*. De Iuliano quo nemo Cæsarum superstitiosior, iisque rebus addictior, satis sit memorasse omnem in astrorum influxu & potesta-

(a) *Vid. Celsum ap. Orig. l. c. Cl. Salm. ad Sol. p. m. 656.*
(b) *In Octav. cap. 95.* (c) *De Divinat. L. I. XXXIX.*
(d) *In Hadr. Cap. XVI.* (e) *In Cæsarib. p. m. 6.*
(f) *In Alex. Sev. sub init.*

Digitized by Google

teſtate Perſici belli fortunam repoſuiſſe (*a*) . At his immorari nihil eſſet quum omnes ferme quotquot de iſtiuſmodi rebus egerunt Apoteleſmatici, uno ore prædicent apud Reges potiſſimum, ceteroſque principes viros ridendum hoc doctrinæ genus ab antiquiſſimis temporibus obtinuiſſe . Cum quibus profecto facit Tullius (*b*), qui *non poſſe* , ait , *quemquam Perſarum eſſe regem qui non ante Magorum diſciplinam ſcientiamque perceperit* . Aliter vero , teſte Gellio , (*c*) Phavorinus ſenſerat . Adeat cui lubet inter ceteros Ptolemæum , Firmicum , Porphyrium, Hephæſtionem, Hermetem , vel quicumque tandem is fuerit , totque alios hujus farinæ fabulatores ut inde edoctus certior fiat quanti æſtimarentur commenta illa , & quam communis uſus *Nativitatum* , (*d*) ut D. Ambroſio adpellantur , præſertim apud ignarum vulgus invaleſceret . Conciliorum Canones , Laodiceni ſcilicet & aliorum ; Cæſarum Leges , Diocletiani (*e*) nempe, Conſtantii, Valentiniani, Valentis, Arcadii & Honorii, quibus cautum fuerat ut Mathematicorum Codices cremarentur, & impiæ artis magiſtri atrocioribus pœnis plecterentur, præ manibus adhuc habemus: certiſſimos teſtes late diffuſæ peſtis (*f*) ὀλέθρῳ τῶν χρωμένων αὐτῇ quæ frequentiſſimis iiſque rigidiſſimis ſanctionibus coerceri non poterat . At neque Sæcula nobis propiora tanta iactura vacaſſe, nimium iam oſtendunt Caroli Magni, aliorumque Francorum Italorumque regum decreta (*g*), queis vetitum legimus *Divinos* , *Sortilegos* , *Mageſque* [eos nil differre ab noſtris Apoteleſmaticis opinor] artem ſuam facere, eoſque diuturna carceris maceratione puniendos imperatum . Quinimmo noſtris quoque temporibus,

(a) *Theodoret. Hiſt. Eccl. L. III.* (b) *De Div. L. I. Cap. XLI.*
(c) *Noct. Attic. L. XIV. I.* (d) *In Exaem. IV.*
(e) *In Codd. Theodoſ. & Iuſtinian. Lib. IX. Tit. XVIII.*
(f) *Orig. contra Celſ. Lib. VI.*
(g) *Capitul. Reg. Francor. Capp. I. & IV. Karol. M. & alibi paſſim.*

Digitized by Google

bus, & quod valde miror, apud ſapientiſſimas nationes deliramenta huiuſmodi viguiſſe, præter ſexcenta alia, quæ in medium proferri poſſent exempla, ſatis oſtendit pervulgatum illud de magno Ludovico Rege Galliarum genethliacon, quo Germanus quidam fabellarum harum ſtudioſiſſimus pleno ore prædixerat *Diu Dure Feliciter* Borbonium regnaturum; quod nempe caſus probavit.

His itaque poſitis, quum viderim Themata hæc ſeu Horoſcopa ſeu quovis demum nomine adpellare lubet, trigonis potiſſimum, ac tetragonis conſtare, in quibus certa lege & ſiderum obſervatione, Zodiaci Signa ac Planetarum emblemmata depinguntur, ut inde erui poſſint quæ *adſcendentia* (a), verba ſunt Firmici, quæ *contradicentia*, quæve *ſe adſpicientia* ſint (hinc etenim tota pene divinatio pendet); quumque videam trigonum Vrna noſtra inſcalptum, idque emblemmatibus quotquot inſeri poterant infarctum, non poſſum quin ſubſpicer aut Horoſcopum aut ſaltem Horoſcopi partem hominis illius, cuius oſſa exuſta olim in Vaſe recondita fuerant, exprimi fortaſſe iiſque ſiglis repræſentari potuiſse. Condendo cineri hominis iam fato functi Vrnam noſtram olim adhibitam ſuadet cum magnitudine forma, innumeris prope aliis inter Columbariorum hypogæa detectis apprime reſpondens. Scorpii & Capricorni Signa, quæ veluti auſpicatiſſima habebantur utrinque adjecta, *aſcendentia* forte erant vel cenſebantur, quum homo in lucem prodierat, eaque de cauſſa ſeorſim adnotata ut celerius intuentium oculis feliciſſima aſtrorum συζυγία innoteſceret; ceteris vero per gyrum inſcalptis ſiderum loca & concurſus indicantibus, iuxta arcanæ artis rationem qua putidius nihil ineptiuſve. De trigonis, appoſite in rem

(a) *Iul. Firmic. Math. Lib. VII.*

rem noſtram Porphyrius (*a*) *ἡ δὲ δευτέρα ἐστὶν ἡ χρονικὴ ἣν ἂν Ἀντίγωνος καὶ Φάνης ὁ αἰγύπτιος καὶ ἄλλοι τινὲς ὑπέταξαν καὶ ὠνόμασαν ἰσοσκελὲς τρίγωνον τῶν ἀναφορῶν τῶν ζωδίων* . *Alterum vero* [trigonum] *eſt temporale quod Antigonus & Phanes Ægyptius & alii quidam ſubiunxerunt & nominarunt æquicrurium triangulum aſcenſionum Signorum*. Æquicrurium triangulum quis in Vrna non videat ? At quum inſuper apud Firmicum (*b*) legerim plane prædici poſſe , immo ſæpius etiam ſolere , hujuſce artis ope, genus mortis quo quemque occumbere oporteat , facile adducor ut coniectando pergam , iiſque Notis indigitatum fortaſſe putem Aſtrologi ſchema quo quæſitum fuerat quodnam genus mortis maneret homini, cujus cineres poſtmodum in Vrna repoſiti . Et eo proclivior in hanc coniecturam feror quod videam apud Enarratorem (*c*) Ptolemæi [*is* fuit forte Proclus] poſſe Aſtrologum Horoſcopi præſidio nedum menſem & diem, ſed ipſam inſuper horam cuiuſcumque caſus præſentire . En verba : *ὥς τε δύνασθαι τὸν ἐπιστήμονα καὶ τὴν ὥραν λέγειν , ἐν ᾗ γενήσεται ἡ περίστασις* . *Itaque peritus etiam horam dicere poterit qua ſit aliquid eventurum* . Illudque præterea dictis quid fidei augere poſſet quod apud Manilium legimus : (*d*)

Altera nunc ratio quæ ſummam continet ævi
Reddenda eſt quot quæque annos dare Signa ferantur
Quæ tibi cum finem vitæ per ſydera quæris
Reſpicienda manet ratio numeriſque notanda.
Bis quinos annos Aries unumque trientem
Fraudatum dabit : appoſitis tu Taure duobus
Vincis ; ſed totidem Geminorum vinceris aſtro. &c.

Quibus conſonat illud Plinianum (*e*) : *Aſclepiadis Se-*

cta

(a) *In Iſagog. ad Ptolem.* (b) *Lib. VII.* (c) *In Tetrabibl. Ptol. de Iudic. L. IV. p. m. 80. Vid. inſuper Ptol. Lib. IV. c. 8. eiuſd. oper.*
(d) *Aſtronomic. L. III. c. VII.* (e) *Hiſt. Nat. L. II.*

Digitized by Google

cta stata vitæ spatia a stellis accipi dicit . At quoniam de Plinio mentio incidit , opportune moneo me nihil addere de *Vasibus horoscopicis* ab eo memoratis (*a*) ; nam etsi, inspecta adpellatione , mire in rem nostram prima facie trahi posse videantur , qui scilicet Horoscopum in vase contemplamur , liquido tamen constat horologia fuisse dumtaxat , seu mavis Gnomonicæ artis instrumenta ad distinguenda horarum spatia , nullove pacto Apotelesmaticorum deliramentis commiscenda . In viam redeo . Cave tamen ne credas me superioribus verbis innuere voluisse reapse a Mathematico Schematis auctore commentitiæ artis vi horam mortis prævisam, & indigitatam . Ita me Deus amet , ut impia hæc omnia & deridicula minimi pendo , immo pro nihilo prorsus penitusque habeo . Sed fieri sane potuit ut præviso interitus diei , quem sive urgente mortifero morbo sive alia de caussa vafer præstigiator præsensisset , exitus vitæ forte fortuna responderit ; ideoque veluti profundissimæ ac pene divinæ sapientiæ monumentum urnæ cœlatum Horoscopum ; ut mirandæ admodum præsensionis instrumenta æternum suspicienda posteritati proponerentur .

At vereor ne nimium urgendo coniecturas hasce meas , dum scilicet de divinatione verba facio , hariolus vobis videar fidemque superioribus abrogem quæ vero propius accedere mihi visa sunt . Frivolam artem neque satis calleo neque , malis avibus ortam , ultra callere velim si possem . Sed si qui supersunt rerum harum periti [quos nimium hercle superesse doleo] ii conlatis characteribus dicere possunt num rem acu tetigerim , an longius a scopo aberraverim . Equidem mihi satis superque erit toto cœlo , ut aiunt , non aberrasse , & aliquid in re ceterum dubia ac tenebrosa , in medium protulisse quod a cordatis viris penitus non

(a) *Hist. Nat. L. II.*

non improbetur, nec socio vestro indignum plane videatur.

Sed antequam conatibus hisce meis finem imponam, quædam de huiusmodi Siglarum ætate & origine leviter attigisse non pigebit; id enim abs re nostra non alienum reor, quum neminem sciam, qui de his verba fecerit.

Arbitratus est Chamberius (a) Notas hasce a Chemycis primum inventas, & ab iis deinceps ad Astronomos translatas. Sed Scriptorem ceteroquin doctissimum, fœde hallucinatum vereor, quum liquido constet Chemycos solis Planetarum Notis, quæ metallis respondere fabulantur, usos fuisse; contra vero Astronomicæ artis cultores, præter Planetas, cetera quoque Zodiaci signa similibus siglis indicasse. Quamobrem, si bene video, ab iis potius ad Chemycos transferri potuisse putandum. Porro de earum origine ac ætate quibus describi primo consuevere, silent universi quotquot mihi in hunc diem contigit vidisse Scriptores. A Babyloniis & Ægyptiis Astronomicarum disciplinarum parentibus, una cum artis elementis traditas iam ab inde conieceram. Verum cum animadvertissem Notarum harum rationem eo plane comparatam modo quo ceteræ omnes quæ ad scripturam adtinent, nempe contractione, & longiuscularum linearum obtruncatione ut celeriori calamo exprimi possent, opinionem sola coniectura innixam & quam res ipsa refelleret, omnino respui. Etenim si cum nativis imaginibus, quibus Veteres Astronomi cœlestia Signa ad expeditiorem rerum docendarum notitiam, exprimebant, compendia huiusmodi conferantur, protinus deprehendi poterit, etsi leviusculam, certam tamen & indubiam similitudinem typorum, e quibus manarunt, retinuisse. Saturnus falce ♄; Mars iaculo ♂; Mercurius ☿ caduceo indicantur. Libram lancis pars deno-

(a) *In Lexic. Londini edit. voce* Caratteri.

Digitized by Google

denotat ♎; Scorpium ♏ aculeus; Arietem cornua ♈, itidemque Taurum ♉ ſubindicant. Aquarium amnis decurrens ♒; Geminos ♊, æque ac Piſces ♓ lineolæ binæ. Solem circulus ☉; Lunæ vero quæ facillimo calami ductu exprimi poterat nativam indulſere figuram ☾. Putarem igitur ego, efformatis primum ope nativarum imaginum Signis & Planetis, poſtmodum partim inſcitia pictoriæ artis quam non omnes Aſtronomi proculdubio callere poterant, partimque per nimiam deſcribentium feſtinationem, ſenſim eo tandem ventum eſse ut quæ antea petitis a natura ipſa figuris, exprimebantur, deinceps incompto quodam rudique linearum compendio indicarentur. Hæc de origine.

De ætate brevius. Apud Veteres quum Græcos tum Romanos optimorum ſæculorum, ni antiquis fallimur monumentis, nullibi ſidera & cœleſtia Signa occurrere niſi ad vivum expreſſis imaginibus certum eſt. Numiſmata, delubra, columnæ, gemmæ, diptycha, & Kalendaria ſuperſunt quibus abunde monemur tunc temporis nullum ſiglarum huiuſmodi uſum obtinuiſſe. At quibus tandem ſæculis uſurpari cœperunt? Vetuſtius quod ſe ſe mihi obtulerit monumentum quo expreſsas viderim, noſtrum Vas eſt, eo nomine plurimi profecto faciendum. Marmoris operiſque conditio haud obſcure oſtendunt non poſtremis Imperii ſæculis elaboratum. Nec ſingulari ſagacitate reique antiquariæ peritia quemquam indigere arbitror ut dum obiter etiam inſpexerit, genuinos, eoſque minime recentiori manu adjectos, characteres noſtros fateatur. Inter Scriptores neminem novi Ptolemæo antiquiorem qui compendiis hiſce uteretur. At num forte vetus per nativas imagines exprimendi ratio, celeritatis intuitu, a recentioribus Calligraphis in Mss. Codicibus immutata? Apud Firmicum, nempe Magni Conſtantini temporibus, compendia non imagines itidem video. At dubio eodem laboro.

ro.

Digitized by Google

ro . Rem tamen extra omnem dubitationis aleam ponere mihi videntur Gnosticorum & Basilidianorum Gemmæ , quibus Abraxearum vulgo inditum nomen . Eæ siglarum istiusmodi notas neque semel neque obscure præseferunt ; hasque inter conspicua est quam Joan. Macarius (*a*) edidit , unica repræsentatione cœlestia Signa imaginibus nativis, itemque siglis nostris expressa exhibentem ; ut nimirum a non inepto cœlatore in rem nostram elaborata videri possit . Altera insuper ibidem (*b*) est , caput Solis radiatum cum Signis utrinque compendiario nexu indicatis , ostendens . Siquis igitur in re penitus tenebrosa coniectandi locus , non immerito subspicari quis posset secundo vel tertio a parta Salute Sæculo earum usum , ni sæpius in monumenta , [quæ revera aut rara admodum aut dubia sunt] saltem in scripturas invectum ; quod scilicet Manuscriptorum Codicum , Gemmarum , & Vrnæ huiusce nostræ præsidio firmari posse videtur . Ab Arabibus certe , ut vulgo fertur haud derivandam earum originem, ex dictis fidenter pronuntio .

Longiori disquisitione opus esset ad rem totam e tenebris nitidiori luce sistendam . Sed vereor ne nimius iam sim , Vobisque molestus . Itaque finem faciam , hoc unum addidisse contentus : minime inficias me iturum siquis characteres nostros ad Mathematicum pertinuisse dixerit qui commentis suis , Basilidis insuper , ceterorumque Gnosticorum impia deliramenta commiscuerit ; id nempe innuentibus Magicis literis quæ summo Vase Astronomicis emblemmatibus interseruntur . Hæ dubio procul ex illarum numero sunt quæ in gemmis , ceterisque (*c*) amuletis impiorum æque ac dementium hominum passim occurrunt .

Con-

(a) *In Apistopisto . Tab. XX. n. 83.* (b) *Ibid. n. 79. Vide insuper L. Begerum in Thes. Brandemburgic. T. I. p. 115.*

(c) *Vide ap. August. in Gemm. a Chausseo edit. Tab. CLXXXIV. Macarium in Apistopist. Chiflet. in Abrax. Prot. & alibi passim.*

Digitized by Google

Conferantur (*a*) quæ de ſtellis (*b*) membrorum præſidibus, de Æonibus, Decanis, Biocratoribus, Οἰκοδεσπόταις, ceteriſque magis portentis quam nominibus apud utroſque ſumma cum gravitate traduntur, & quantum Apoteleſmaticæ inſtitutiones, Baſilidis, Valentini, Marci, eorumque aſſeclarum ſcholæ cohæreant, levi negotio percipi poterit. Ex quo parum, ſemper abſuit quin crederem ex Mathematicorum figmentis potiſſimum hæreticorum hominum gregem ſomnia ſua derivaſſe: quod nempe conlatis utrorumque commentis evinci poſſe vix dubito. Sed heic plura ego non addam.

(a) *Confer Ephaeſtionem & Firmicum. Lib. I. & II. Mathem. D. Irenaeum Hæreſ. L. I. D. Hieronym. Ep. LIII. ad Theod. Origen.* Περὶ ἀρχῶν *& alios complures. Vide inſuper laud. Chiflet. ibi. p.* 124.

(b) Stellas fatales *adpellantur a D. Leone Magno Ep. ad Epiſcop. Aſturic. Concil. Bracar. can. IX. X.*

F I N I S.

4) 3. 1 - -

IOANNES BAPTISTA ALBRITIVS HIER. FIL.
EXCVDEBAT.

99 940884